





86bx  
1769, 15.  
SPECIMEN  
CONTINENS

CAPVT IVRIS CONTROVERSVM

D E  
**COMMODATO REI  
INCORPORALIS**

QVOD

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

**D. CHRISTIANO HENR. BREVNING**

PROFESSOR. PUBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE V. AVG. ANNO CIDIQCLXVIIIL

DEFENDET

**GOTTHELF MARTINI**

BVDISS. LVSAT.

---

LIPSIAE

LITERIS RVMPFIIS.





DE  
COMMODATO REI  
INCORPORALIS.

---

---

§. I.

Videtur antiqua fuisse controversia: An *vtendum dare* et *commodare* synonima habenda. Sane hoc coniici potest ex *VLPIANI* verbis in *L. 1. §. 1. n. commodat. vel contr.* Ait: *Huius editi interpretatio non est difficilis, unum solum notandum, quod, qui editum concepit commodati fecit mentionem, cum Pacuvius vtiendi fecit mentionem. Si LABEONIS autoritatem sequimur, ut pergit VLPIANVS: Inter commodatum et vtendum datum tantum interest, quantum inter GENVS et SPECIEM.* Est itaque *vtendum dare* genus, cuius species deprehendimus vel in *commodato*, vel in *locato*, vel in *precario*. An et *mutuum* species sit, in qua rem *vtendam* damus. Haud nego, dubitari posse, quippe qui sciimus, in *mutuo* rerum alienationem obuenire. Creditor enim dominium fungibilium rerum in debitorem trans-



fert mutuum dando, hinc non videtur vtendum dedisse mutuum. Ex reliquis enim speciebus patet in *datione vtendum* non interuenire alienationem. At vero salua videtur opinio, ex qua mutuum possit referri inter species dationis vtendum. Quanquam enim corpora illa fungibilia in mutuo alienentur, ipsa tamen et quantitas et qualitas corporum adhuc sunt in bonis, nec alienatio hic concurrit, quare illam quantitatem atque qualitatem rerum fungibilium in mutuum datarum recte vtendam datam esse censeo.

### §. II.

Ipsum vero commodatum, quod solo consensu perficitur, usum rei non fungibilis gratis alteri confert. Dubitabatur et olim, an omnium rerum non fungibilem seu mobilium seu soli commodatum dari posset. LABEO teste, eodem VLPIANO, in L. c. negavit soli commodatum. Ita enim scribit VLPIANVS: *Commodari enim rem mobilem, non etiam soli: vtendam dari etiam soli.* Haec Labeonis opinio. Ab hac tamen opinione recedit Domitius, qui pergit: *Sed ut appareat, proprie commodata res dicitur, et quae soli est.* Argumentum ductum a communi forsitan loquendi ratione. Et verior sane est VLPIANI sententia, quam et CASSIVM habuisse, ipse testatur VLPIANVS. Nam si, ut Labeo existimauerat, *vtendum dare* genus constituit, non poterat postea genus speciei opponi, ut res mobiles commodarentur, immobiles vtendae darentur; non enim definiuisset haec locutio, vtrum locatio, an precarium esset, an vero commodatum, vel, an data mercede vtendum im-

mobile

¶ + ¶

mobile alter haberet, an gratis, ita, ut vel non reuocari possit ante obtentum vsum, vel ut ex beneplacito dantis quandocumque reuocetur. Praeterea, si res soli vtenda datur, vtendum dare genus constitutat, hoc vero suas sub se comprehendat species, ad eas vero et commodatum et locatum et precarium referatur, ex ipsius Labeonis sententia consequor, rem immobilem et locari, et commodari et precario dari posse.

§. III.

Sed alia quaestio: *An incorporalis res commodari possit.* Cum res incorporales neque mobilibus nec soli possint adnumerari, sed suam propriam atque distinctam speciem constituant, commodatum vero sit vel rerum mobilium vel immobilium non fungibilem: dubitari poterat, an rei incorporalis commodatum concipi possit? Et forsitan antiquitus inter Ictos de hac quaestione dubitatum fuit, quippe **VLPIANVS** in *L. i. §. i. ff. commod.* refert tanquam singularem opinionem **VIVIANVM amplius etiam HABITATIONEM commodari potuisse**, statuisse. Iam vero Habitatio tanquam seruitus ad incorporales res referenda est. Sed antequam **VIVIANI** autoritatem sequamur, ante positionem obiectum refutabimus. Obiectum commodati sunt res, quae pondere, numero et mensura non emetiuntur, sed quibus salua sua substantia utri fruique possumus, seu res non fungibles: quo venit etiam commodatarii obligatio, ut, finito vnu, ad quem res commodata, eam salua sua substantia restituat. Distinctio vero rerum in mobiles et immobiles ex accidenti relata est ab **VLPIANO**, quippe non est



subordinata quaedam diuisio rerum non fungibilium, quippe et fungibles res sunt mobiles. Hinc magis puto, haec **VLPIANI** verba ad **LABEONIS** controviersiam referenda esse ob verborum seu locutionum dubitationem, videlicet an, si immobilis rei *vitus* ad certum finem alteri daretur, recte commodatum dici possit, non, ut his verbis rerum, quae commodati obiectum sunt, definitionem constituat. Respi ciendum itaque magis erit ad reliquam indolem et naturam commodati, ut exinde decisio causae nostrae peti possit. Nam in commodato tradimus rem, ut alter ea ad certum et definitum finem vtatur, eoque obtento, finito *vitu* concesso, non consumitam rem restituat, nec destruetam, nec deterioratam.

#### §. IV.

Iam vero videndum est, an rei incorporalis natura patitur, ut illius *vitus* alteri concedi possit ad certum finem, et ut, eo obtento fine, restitui commodanti possit salua? Et arbitror, naturam rei incorporalis non omnino repugnare. Nam, cum liceat exercitium *vitus* fructus alteri vel vendere, vel locare, vel donare, ut adfirms expresse **MARCIANVS** in *L. 38. ff. de Vtfruct.* qui non de ipsa seruitutis alienatione intelligendus, sed saltem de exercitio illius erit, quippe de *vitufructario* loquitur, cuius nomine alias viatur, puta, qui emit, &c. Concludo itaque, si exercitium *vitusfructus* rei incorporalis ab *vitufructario* vendi, locari, donari potest, quidni et commodari poterit? Nam poterit *vitum* huius seruitutis ad certum definitumque finem obtinere commodarius, eoque obtento fine; poterit saluum illud ius restituere

¶ + ¶

7

tuere vſufructuario, qui dein ipſe re aliena illa vtitur frui-  
tur. Nolle tamen ab vſufructu ad vſum concludere, quippe ex verbis **V L P I A N I** in L. 8. ff. de *Vſu et habitat.* id negare, qui expreſſe scribit: *Sed neque locabunt ſcorſim, neque concedent habitationem fine ſe, nec vendent vſum.* ergo nec com-  
modabunt, niſi abuſuſe hofpitiſ receptionem ex iure ho-  
ſpitalitatis dicere velis vſum aedium commodatum.

#### §. V.

Sed personales ſeruitutes hae ſunt, imo et illa habitatio, cuius commodatum ſupra adfirmauerat **V I V I A N V S.** An et reales commodari poſſint? videndum, et verior eſt ad-  
firmatiua ſententia. Mouet me argumentum duclum a  
*precario ad commodatum.* Nam comparat ipſe **V L P I A N V S** in L. 1. ff. de *precar.* precarium cum commodato, vt itaque, ſi de obieſto precarii dicamus, recte argumentum duci queat ad commodatum. Iam vero audiamus **G A I V M** qui in L. 3. ff. de *precar.* ſcribit: *Veluti ſi me precario rogaueris, vt per fundum meuum IRE, vel AGERE tibi liceat, vel in teclum vel in aream aedium mearum STILLICIDIUM vel TIGNVM in parietem immiſſum habeas.* Concludo itaque: cum iter, actus ſint ſeruitutes praediorum rusticorum, ſtillicidium et ti-  
gnum immiſſum, ſint contra urbanorum, omnes vero res incorporelas, eae vero praecario obtineri, ita dubium non eſt, quin haec ipsae ſeruitutes commodari poſſint.

#### §. VI.

At quem nobis lapidem oppoſuit **V L P I A N V S** in L. 44. ff.  
de *Seru.* qui nudis verbis ſcribit: *Locare ſeruitutem nemo potest.* Quid itaque, ſi locari nequeat ſeruitus, nec poterit com-  
modari,



modari, quippe vterque contra*ctus* vtendum dare continet. Sed saluare*cs* est; nam si reliqua fragmenta **V L P I A N I**, quae ex *L. XVII. ad Edictum* (non ex *L. VII. ad Edictum*) ex quo *L. 44. cit.* desunta, conferantur, patet, **V L P I A N V M** de seruitutum iure ita agere, vt exinde realis actio nascatur. Iam vero locatio tantum personale ius efficeret, vt inde confessoria competere non posset, recte negabat, locari seruitutem posse, quippe locatio ius in re in alterum non transferret. In de vero exercitium seruitutis locatione interueniente alteri committi posse, ipse **V L P I A N V S** in *L. 29. ff. quib. mod. vsufr. amitt.* de usufructu adseruit, quidni et reales seruitutes, locato fundo dominante, locari queant, et commodato eo, commodari?

### §. VII.

Quamuis haec tenus probatum sit, posse res incorporales sc. seruitutes commodari, tamen omnium rerum incorporealium, vt actionum et obligationum, quae et incorporales sunt, commodatum haud adserendum, quippe si examinemus commodati indolem et naturam, plane non conueniret omnibus rebus incorporealibus. Quomodo ergo commadabis Titio actionem tibi competentem aduersus tuum debitorem? Sed haec interea sufficient.

T A N T V M.



**ULB Halle**  
003 594 440

3



*Sb*



B.I.G.

Black		
White		
Magenta		
Red		
Yellow		
Green		
Cyan		
Blue		
Inches		
Centimetres	1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8	

Farbkarte #13

S P E C I M E N

C O N T I N E N S

C A P V T I V R I S C O N T R O V E R S V M

D E

C O M M O D A T O R E I  
I N C O R P O R A L I S

Q V O D

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A

P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G

P R O F E S S O R. P U B L I C. O R D I N. I V R. N A T. E T G E N T.

E T S O C I E T A T. L I T E R. D V I S B V R G.

S O C I O

I N A V D I T O R I O P E T R I N O

D I E V. A V G. A N N O C I C I O C C L X V I I I .

D E F E N D E T

G O T T H E L F M A R T I N I

B V D I S S. L V S A T.

L I P S I A E

L I T E R I S R V M P F I I S.

